

166

164

170

160

175

155

215

115

265

065

Ende

Anfang

151

Nahmen fahren wir ic. sicut habetur fol. 31. B. In his ergo galēa forti conamine sulcabat mare, et ejecta longius a portu venetiano ipsam urbem a tergo habuimus, a qua tanquam a carcere erepti laetantes recessimus, quia ad Jerusalem desideranter aspiravimus. In tantum autem vi bonorum ventorum navis impellebatur, quod infra spatium trium horarum nullos montes, nullam terrae petiam, nulla littora, nullam partem totius aridi videre poteramus, coelum et aquas solum prae oculis habentes. Adeo enim in alto maris eramus, in tam brevi spatio, quod etiam ipsas altissimas alpes supergressi, eis superiores effecti, nec ipsas, uti in profundo existentes, videre poteramus, objiciente se maris rotunditate. Extra mundi autem aspectum ejecti deposuerunt galēoti omnem navis ornatum, eamque ferialem fecerunt aptantes ad labores. Porro meridie transacto, cum comedissemus, vidimus ad sinistrum latus contra septentrionem montana Hystriae, quae est una natio provinciae Dalmatiae, et optabamus in eam applicare, ad portum parentinum, quia ventus prosper desierat flare. Non autem poteramus in Parentiam venire, sed praetergressi eam sumus, non tamen prospera navigatione. Sicque die deficiente, defecit (58 A) et ventus, et tota nocte mansimus sine profectione in instabili agitacione et inquietudine.

Tertia die aspirante luce factus est nobis ventus totus contrarius, et coacti suimus nos vertere ad montana Hystriae, et cum magno conatu eripuimus navem a ventis contrariis, et ad montana appropinquavimus, inducentes navem in portum rubinem, duobus miliaribus supra Parentiam, ubi alias patronus cum suis peregrinis erat. Portus autem ille Rubinae civitatis est quidem inconsuetus, sed est securus et pinguis. In ipso vero portu praestitit nobis patronus hanc gratiam, quod prandio nos refecit, quia hora prandii in eum venimus, quod tamen non tenebatur, cum in bono portu fuerimus, in quo nobis ipsis provisionem facere potuissemus. Finito prandio descendimus de galēa in barcam, et in civitatem nos duci fecimus, et in ecclesiam cathedralē ascendimus, orantes ibi Deum et Sanctam Eusemiam virginem, quae ibi honorifice in magna tumba marmorea jacet integra sepulta, quam tumbam ecclesiae praepositus nobis patefecit, et corpus sacrum ostendit.

